

78 N 13 E 101]

X 30 13 726

**EXAVDI!**  
Sub auspiciatissima huius hebdomadis  
luce  
**BONA OMINA**  
tædis connubialibus  
**V I R I**  
*Clarissimi Doctissimique DOMINI*  
**M. DANIELIS**  
**NISII,**  
Gymnasii, qvod Budissæ floret,,  
Collegæ VI, meritissimi,  
*cum*  
*Honestissima omnique virtutum decore exsplendescenti*  
**VIRGINE**  
**JOHANNA**  
**ELISABETHA**  
**V I R I**  
*Admodum Reverendi & Doctissimi DOMINI*  
**JOHANNIS KNOECHERI**  
fidelissimi Ecclesiae, quæ DEO Audigasti  
in circulo Pegavensi  
colligitur, Pastoris  
post beatum obitum relicta natu minori filia  
d. 3. Junii A. S. R. M. DCCXV.  
Sacerdotali foedere Audigasti conjungendis  
apprecatur & gratularur  
*Gymnasii Budissenensis Magisterium.*

Budissa Litteris Richterianis.



Kapsel 78 N 13 [101]

AK

**S**Emper ab immenso Divini Numinis aures  
Cœlo devotos fletus & vota piorum,  
Celsa per ætberei penetrantia limina templi,  
Exaudiwerunt, cum vel fatalia damna  
Asper & iratæ fortunæ vultus, acerbæ  
Elicerent lacrymas, aut cum malefacta nefanda  
Attraherent meritæ justissima tormenta pœnæ.  
Ille nec immergi navem permittit aduncam  
Nostram fluctivagi spumantibus æquoris undis,  
Cum furit Oebalæ violentior ira Maleæ,  
Atque Capharei cum ponti saxa minantur  
Ignibus ostensis fragiles lacerare carinas.  
*M*  
Si, cum jam nobis vitæ spes omnis ademta est,  
Et fluctus rapidi suffocant pene rudentes,  
Nos modo submissas ad sidera vertere palmas,  
Ejus & auxilium, gratumque vocare levamen  
Non piget, exaudit clamores mente benigna,  
Et fera ventorum, velis contraria nostris,  
Flamina cœruleas abscondit rurus in undas.  
Hujus & ipse rei Tu Vir Clarissime testis  
Certior esse potes; Numen, quæcunque rogasti,  
Auribus accepit placidis, minuitque querelas.  
Audit ille preces, quas pro te misit in auras,  
Cum sacro corpus perfunderet amne Jacerdos,  
Et lustralis aquæ flumen tua perluit ora,  
Candida amicorum præsentum turba piorum.  
Ille dein teneros annos protendit, & ipse  
A primis cunis audivit singula vota,  
Quæ pro felici serie faustoque juventæ  
Successu superas volitarunt semper in ædes.  
Et postquam spatio succrevit adultior ætas,  
Nec prætexta tuos velaverat amplius artus,  
Et jam tentabas studiis intendere mentem,  
Musarumque choros omnes comitarier, atque  
Pellere barbariem summa virtute studebas;  
Audit ille preces, & vota potentia cœlum,  
Ingeniumque dedit tantis conatibus aptum,  
Atque tuis studiis successus præstit almos.  
Insuper & nondum vires ex aſſe politas  
Ut magis atque magis capere incrementa videres,  
Audit ille preces, & primam tradidit illam

Ætatem claris Doctoribus atque Magistris,  
Quos teneros animi cultus formare decebat,  
Quique tuis studiis, quicquid vel defuit ante,  
Artibus ingenuis addant, penitusque capaci  
Imprimerent animo doctrinæ munera veræ.  
Audit ille preces, cum te post gymnica facta  
Ædes Musarum, quam nunc Tritonia virgo  
Incolit, antiqui deletis temporis ira  
Delubris græcis, Philyrea palæstra teneret,  
Atque per undenos perlongi temporis annos  
Felicem optares studiis imponere metam.  
Audit ille preces, operæ cum præmia longæ  
Sudorisque tui præberent mœnia dicta,  
Quæ lambit triplex congressum fluminis unda,  
Cum tua Phœbea florarent tempora fronde,  
Sertaque præstantes digne implicitura capillos  
Ornarent hedera caput, ornarentque corymbis.  
Audit ille preces, cum te tua terra juvaret,  
Et natale solum redeuntem Palladis arce,  
Semper ubi nomenque tuum laudesque manebunt,  
Exciperet, patriasque tuas ostenderet oras.  
Audit ille preces supremo rursus ab axe,  
Cum tua sedulitas & mens pertæsa quietis,  
Post exantlatos studiorum mille labores,  
Præmia speraret gratos redolentia fructus,  
Et doctis dotes doctrinæ ostendere vellet.  
Audit ille preces, Patronos atque faventes  
Addidit haud paucos, qui te, doctasque sorores  
Inte conspicuas oculis cognoscere possent.  
Audit ille preces, nobis sociisque Magistris,  
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas,  
Mentes ad studium primas formare calentes  
Inssit, & in rudibus tua semina spargere terris,  
Ut crescent segetes, messes surgantque feraces  
In patriæ fructus & commoda plurima nostræ.  
Iamque tuis studiis multis progerminat ætas  
Mollis & apta regi, virides segetesque creabis,  
Quas nunquam poterit lapidosi grandinis imber,  
Prosternens alias herbas, nec cana pruina  
Delere, aut operas tantæ deperdere molis.  
Audit ille preces, vires largitus ab alto,

Ut fungio officio tanto, possisque molesti  
Muneris illius duros perferre labores.  
Ast, cum nec liquido semper fluat æthere nimbus,  
Sed Titanurus deducat nubila cælo,  
Sic nec perpetuo decet invigilare labori,  
Ut nunquam exhilarent depresso gaudia mentem.  
Quæ semper ferro curvi finduntur aratri  
Fructibus assiduis languentia rura senescunt.  
Audiit ergo preces, dedit & quod ludere possis,  
Quod tibi finita multo sub pulvere cura  
Possit languentes artus & membra sovare.  
Iamque tori celebras genialis festa sacrata,  
Solenesque faces thalami, tædasque jugales  
Præducunt pueri, sponsa spargente capillos.  
Cincta venit virgo matrum nuruumque caterva,  
Amplexusque tuos veneratur & oscula sumit.  
Audiit ille preces ate sæpiissime fusas,  
Et tribuit thalami sociam castamque piamque.  
Hæc fidei constans annos intacta per omnes  
Absque ullis maculis servat socialia jura.  
Te cupit & solum te vero semper amore  
Prosequitur. Patriæ vera est virtutis imago  
A teneris annis natam qui vivere caste  
Atque pie docuit, quo sit sine labe venusta.  
In vitæ extremos concordia floreat annos,  
Una juvet facies, semper mens una duobus,  
Una quies, unusque labor sit & una voluntas.  
Hæc nisi firma viret virtus contraria liti,  
Lectus amat luctum, thalamus tumulumque parabit.  
Audiit Omnipotens cœli moderator ab axe,  
Quæ tu pro socia flagrantia via dedisti,  
Audiit, & thalamum castum, sociamque pudicam  
Unanimique dedit conjunctam pectore sponsam.  
Audiet ille preces venturo tempore vestras,  
Audiet & dupli sociata precamina palma,  
Et dabit, ex animo vobis quæcunque placere,  
Et vestram poterunt dulcedine pascere mentem.  
O Deus! o Numen! Tu nostris annue votis.  
Et tua cum voces audivit gratia sponsi,  
Audiet & dupli sociata precamina palma,  
Audiat atque preces profospite foedere nostras.

78 N 13 E 101

X 30 13 726

**EXAVDI!**Sub auspicatissima huius hebdomadis  
luce,**BONA OMINA***tædis coniubialibus***V I R I***irissimi Doctissimique DOMINI***DANIELIS  
NISII,**

Gymnasiæ, qvod Budissæ floret,,

Collegæ VI, meritissimi,

cum

*omniq[ue] virtutum decore ex splendesceni***VIRGINE****H A N N A  
I S A B E T H A****V I R I**

um Reverendi &amp; Doctissimi DOMINI

olim

**NNIS KNOECHERI**

ssimi Ecclesiæ, quæ DEO Audigasti

in circulo Pegavensi

colligitur, Pastoris

st beatum obitum relicta natu minori filia

3. Junii A. S. R. M. DCC XV.

otali foedere Audigasti conjungendis

appreciatu &amp; gratulatur

*Gymnasiæ Budissinensis Magisterium.**Budissa Literis Richterianis.*

Kapsel 78 N 13 [101]

AK